

## Weichbild magdeburski w układzie śląsko-małopolskim.

### Wersja sandomierska

Rękopis Archiwum Państwowego w Przemyślu, Akta Miasta Przemyśla, sygn. 428, s. 42–43

Odczyt: Maciej Mikuła

Artykuł 64 [Gn. 61]

[64] De armis bellicis et supellectili feminarum aut sacerdotum seu monachorum.  
Capitulum LXIII

Mulier pro armis bellicis gladium mortui mariti et suum runcinum vel dextrarium meliorem sellatum et meliora arma, que habuit pro corpore unius viri, cum decessit in sua potentia, deinde debet dare pulvinar bellicale, hoc est lectum et duos cussinos, [s. 43] et duo linthiamina, et unum mensale, et duas pelves, unum manutergium. Hec sunt universalia arma bellica. Sed tamen aliqui homines diversa apponunt, quod tamen ad ea non pertinet, sed quicquid ex his nominatis mulier non habuerit, ad hoc compelli non potest, si iuramento approbaverit pro qualibet re per se. Sed ubi patenter ostendere poterit, ibi vir nec mulier per iuramentum evadere potest. Ubi duo *<nota a>* vel tres viri ad una arma bellica nati fuerint, senior recipit gladium pro se et cetera inter se dividunt equaliter ita tamen, quod senior dividit et iunior eligit.

Et ubi pupilli annos pubertatis nondum attingerint, eorum senior agnatus recipit arma bellica solus, et in eis est tutor puerorum quoisque ad annos discretionis pervenerint, extunc ipsis tenetur reddere et in super ipsorum omnia bona, nisi eis rationem fecerit, quod ea ad eorum usus convertit, aut per spolium, aut furticinium, aut per apparens infortunium, absque sua voluntate ammiserit. Ipse eciam est vidue mundibordius, quoisque duxerit maritum, sibi paris condicionis etc.

Post arma bellica mulier vite provisionem recipit et alia omnia, que ad suppellectilia pertinent, hoc sunt: omnes oves et auce, ciste cum elevatis tecturis, et cooperimentis, omnia strata seu lectisternia pulvinaria, cussinos, lintheamina mensalia, pelves, manutergia, lucibula, candelabra, semen lini vel linum, et omnia muliebria vestimenta, anulos et brachilia, crinalia, psalteria et omnes libri, in quibus mulieres legere consueverunt, qui ad Dei servicium pertinent, sedilia, ladule ac scrinia, tapecia, dorsalia, vela tectoria, balneamina et omnia pepla, ac capitis muliebris, ornamenta omnia, hoc est, quod ad suppellectile femine pertinet. Et ad huc diversa sunt clenodia, qui ad suppellectilia pertinent, singulariter sicut sunt seticule, pectines, forpices, specula. Sed tela non incisa, nec aurum, nec argentum informatum seu non textum non pertinet ad mulieres. Sed quicquid extra prenominata in rebus inventum fuerit, pertinet ad heredes. Si aliquid ex hiis obligatum fuerit circa vitam viri, qui est mortuus, exemat, qui vult, ad quem iure pertinet. Sacerdos dividet cum fratre, sed non monachus.

Si puer intraverit religionem infra annos pubertatis, hic bene potest intra annos exire, si vult, et ius obtinebit feodale et terrestre. Si autem vir, qui dum annos

pubertatis implevit, religionem intraverit, hic se a iure terrestri et feodali alienavit, et sua feoda vaccant, et scutum bellicum resignavit. Si hoc possit protestari per hos, cum quibus similo visus est vitam suscepisse.

<sup>a</sup> dopisane na marginesie, zapewne przez autora podstawy

[hasła: hergewet, gerada, kobieta, miecz, koń, mąż, przysięga, pełnoletniość, lata sprawne, pupil, dobra, opiekun, wdowa, równy stanem, klejnot, srebro, złoto, zobowiązanie, kapłan, mnich, transakcja, lenno]